Quodlibetaria Quaestio agitanda In Scholis Medicorum, die Jovis 4a Februarii. M. Nicolao Le Grand D. et Medico regio Moderatore.

Estne Suffusorum omnium Eadem Curatio?

Oculus humani corporis seu minoris mundi, sol lucidissimus et imprimis aethereus, in capitis arce ipsius gratia constructi, specula constitutus ut fabricae sic et actionis praestantia, reliquis sensoriis eminens. Sensum omnium perfectissimum, offusi ex se spiritus, et humoris crystallini beneficio perficit, ministrantibus tamen primum quidem opticis, solis ad deferendam spiritus essentiam cavatis, ad eiusdem commeatum obliquis motoriis, his ipsis solidioribus et humoribus geminis aqueo utroque hoc crystallinum nutriente, illo vero hunc et undam humectante, senisque tunicis communientibus ipsum, rotundis, et albidis accommodis, ac totidem molem agitantibus musculis, denique firmantibus septimo, glandulis insuper venis arteriis ac pinguedine, palpebrisque adiacentibus externis conservatur.

Huius actionem vel iisdem perfici, sic iisdem similari vel organico vitio affectis corruptis, tolli minui vel depravari contingit: et quidem crystallini non intemperies tantum, quae glaucosim (caecitatem vel plurimum adducentem) inducit, sed motio sedis non semper incommoda, continuique solutio molestat: facultatem spirituum impura copia, vel paucitas, ministrantes reliquas, opticum quidem morborum omne genus, pupillae auctio mala, imminutio, ruptio divulsioque; corneam ipsam, aqueum humorem velut excrementitium, copia vel inopia, sedes, colorisque mutatio; ervatoidem et hac et immodicus humor, aut perniciosum ulcus immedicabile adnatam. Denique chemosis et pterygia per se, phlegmone per aliud, palpebrarumque vitia visum pariter impedientia corrumpunt.

Hunc vero potissimum infestat humoris aquei vel in pupilla vel inter ervatoidem et crystallinum affusio concretioque, suffusio nominata, quae cum saepius ab insensibili per ipsum opticum defluxu, quam a congesto sensim humore pendeat (quamvis et uno die perfici possit) tandiu latet incipiens, quoad functione laesa, compertis, auctique immundi morbus eluceat, quod vel pupillam totam visu adempto contegi vel partim eodem incolumi, vel centrum frustratis affarentibus obiectis affici, vel diversa inania volitantia velut animalcula, conspici contingat.

Quae cum vel laeso per idiopathiam oculo fiat, quod et dolente altero tantum vel impura statim et obscura pupilla noscitur, aut per sympathiam affecto quodcumque; sed interdum laborans oculus purior pupilla, stomachus aut nausea fatigans arguunt, hanc cruditas bilis criticus vero motus, illam senectam frigidus contraque; succus, senium spiritus imbecillior aut chronicus affectus accersunt, quas si auro, ferro, plumbo, vel caeruleo colore niteat, si immota cum pupilla dilatetur, curabilis, si gypsea, glauca, vel albicans, nigrior vero sit, obscura, mobilis, et ab externis occurrentibus evadit insanabilis.

Curationis vero particeps suffusio quaevis, attenuante diaeta, calido siccoque ambiente, somno breviore, moderatis corporis animique motibus, vino balneoque et humectantibus amotis est aggredienda ut a sympathia quidem orta, curatis confirmatisque partibus, vomitu vel amaro tantum pharmaco tollitur. Propriam, praeparantia primum sive oxymel utrumque, tum evacuantia catapotia, sanguinis missio, revellentia, vel acriora clysmata, errhina, cucurbitulas, cauteria, setones, frictiones, et discutientes aquas chymicas, ex follibus collyria profligant. Contumacem acus cura chirurgica (ni senium oculus concavus et exiguus impediant) dextram sinistra manu, dextra sinistram lucido coelo, lunaque decrescente deprimi, partem postmodum affectam ovi candido rosaceoque fomentis, aegrum tenebris, tenuique ad dies septem septimum diaeta, nullis ante obiectis visibilibus continens.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Non est itaque suffusorum omnium eadem curatio.

Ponebat Lutetiae M. Nicolaus Lambert Lutetianus. A. M.D.LXXIIII.

Domini Doctores disputaturi.

M. Sulpitius Rigault. M. Petrus de la Mer. M. Jacobus Charpentier M. et Pr. reg.
M. Joannes le Pescheur. M. Claudius Rebours. M. Petrus Touzet.
M. Jacobus Marant. M. Bartholomaeus Perdulcis. M. Marcus Myron M. R.